aſſertionem Petrus a S. Joſeph in Pſeudo-defenſione S. Thomæ diſp. 2. ſect. 10. n. 1. Gabriel Pennotus lib. 3. cap. 26. num. 2. Gabriel Henao in Scientiæ-Mediæ Theol. defenſ. Franciſcus Annatus de Scient. Med. diſp. 4. Chriſtophorus Ortega Controv. 2. Scien. diſp. 5. quæſt. 2. certam. 2. Verum quam inſulſa, & vana ſit accuſatio, ſatis, opinor, intelliget, quiſquis in Congregationem quinquageſimam-nonam, & ſexageſimam-primam conjecerit oculos: ibi quippe, non modo certam, ac falli neſciam hujuſmodi futurorum notitiam defendit ex inſtituto Thomas de Lemos; ſed & Baſtidam, in eo probando dogmate inutiliter deſudantem, ſæpius exagitavit, tanquam qui a Thomiſtis negari fingeret, quæ ſummo conſenſu fatebantur; eaque arte nihil, niſi moras nectere, tentaret, ne res quantocitius Apoſtolico judicio definiretur.

Actorum fidem non mediocriter juvat aliorum e Societate Scriptorum teſtimonium, qui Sodalium ſuorum hallucinationem, nova licet hallucinatione, prodiderunt. Scribunt enim alii, primos quidem Scientiæ-Mediæ impugnatores certam illam, & indeficientem futurorum contingentium notitiam Deo eripuiſſe; illum tamen, qui publicam Ordinis cauſam in Congregationibus Auxiliorum agebat, ſanioribus conſiliis adductum, aliam in publicis Congreſſibus iniiſſe viam, ac de ſolo Divinæ cognitionis medio diſputaſſe: *Eſto* inquit Ripalda, (1) *Theologus Dominicanus facile noſtro conceſſerit, Deum certo, & infallibiter, & non ſolum conjecturaliter præſcire futura libera conditionata; in eoque ab Hiſpanis Theologis, primum contradicentibus Molinæ, jure receſſerit; ideoque de ſolo medio, in quo Deus ea prænoſcat, contenderit diſputari, ut fert recentium narratio: neceſſarium tamen noſtro Theologo fuit, & examini rei conſentaneum, manifeſtari Pontifici, qua ratione primi oſores Scientiæ-Mediæ refragati illi fuerint, & in qualem doctrinam eos impugnatio coegerit.* Et Paulus Leonardus parte 1. Reſponſionum ſuarum ad Expoſtulationes contra Scientiam-Mediam, ſect. 14. num. 61. *Quamvis*, inquit, *ſcientia conjecturalis a Patribus Dominicanis, qui diſſertationibus, publice in Urbe factis, adſtiterant, merito repudiata fuerit; & maluerint decreta quædam abſoluta ex parte ſubjecti, etſi difficillima intellectu, & querelis multis obnoxia, quorum beneficio certa, & infallibilis Dei cognitio de futuris contingentibus ſub conditione firmaretur, introducere, quam illam tam imperfectam cognoſcendi objecta, a libera cauſa conditionata pendentia, normam Deo tribuere; tamen per eadem tempora celebrem in Thomiſtarum Schola opinionem exſtitiſſe, dico, quæ non infallibilem de nominatis objectis Numini ſcientiam concedebat, ſed probabilem, & per conjecturas juxta cauſarum propenſionem.*

Cæterum quam temere nova illa primi Scientiæ-Mediæ debellatoribus labes inuratur, prolixe demonſtrat Joannes a S. Thoma tom. 1. in 1. p. diſp. 20. q. 14. art. 1. & Piccinardus tom. 3. de apprbatione doctrinæ S. Thomæ, lib. 7. quæſt. 1. artic. 3. ubi eximios illos Angelicæ Scholæ Principes de conjecturali cognitione locutos, interpretantur; non quæ re ipſa in Deo ſit, ſpectata ratione Divini decreti; ſed quæ ipſis futuris contingentibus, materialiter, ut Schola loqitur, tantum ſpectatis, debeatur; prout ſcilicet in nuda cauſarum contingentium diſpoſitione continentur. Eum expoſitionis modum ſubinnuit Thomas de Lemos in Congregatione quinquageſima-nona; nihilque habuit Societatis Defenſor quod objiceret in oppoſitum. Unde mirari ſatis nequeo, putidam adeo calumniam necdum hactenus evanuiſſe, ſed nova quotidie arte, ac ſtudio refricari.

Hujus accuſationis invidia potiori jure onerandus eſſet Joannes Phelippæus, Societatis Theologus, de quo plura diximus Libro primo. Is etenim Scientiam-Mediam confutaturus in ſuis ad Oſeam Commentariis, (2) ſanctiſſimos Eccleſiæ Patres, Auguſtinum, Proſperum, & Fulgentium, uſque adeo ab illo Molinæ commento procul abiiſſe, ait, ut omnem Deo notitiam ſuſtulerint futurorum liberorum, quæ, ſemota conditione, e qua pendere dicuntur, nuſquam re ipſa contingent: nihil ſcilicet veritus, hanc ipſam extremam opinionem tam caris cælo capitibus adſcribere, in quam Prædicatores nimio oppugnandæ Scientiæ-Mediæ ardore prolapſos, commenti ſunt alii. *Tres illi graviſſimi Patres*, inquit ille, *qui præ cæteris omnibus doctiſſime, & ſubtiliſſime de gratia diſputarunt, longiſſime abfuerunt ab eo gratiæ efficacis ſenſu, qui per Scientiam-Mediam, & conditionatam, rationem reddit efficacitatis, quæ eſt in gratia, cum libero arbitrio cohærentis: cum illam ipſam ſcientiam, & futura conditionata reſpuerint.* At de his plenius Libro primo, (3) ubi Phelippæi mentem intimius expendimus.

CAPUT XLIV.

Exceptiones, adverſus Clementem VIII. a Recentioribus confictæ, diſſipantur. Cardinali Perronio in Societatem inclinato quis animus, aperitur.

QUæ ſolent adverſus quoſcumque integerrimos Judices a Reis, cauſa dejectis, exceptiones afferri, ut ſe injuſte damnatos obtendant; eædem illæ adverſus Clementem VIII. a Societatis Scriptoribus proferuntur. Hunc malo in Societatem animo fuiſſe, ab Hiſpanis in Prædicatorum gratiam circumventum, minus pro dignitate argumenti eruditum, Molinianæ doctrinæ, ac præſertim Scientiæ-Mediæ myſteria non ſatis edoctum; tritæ ſunt obmurmurantium querimoniæ. Iis paſſim expoſtulationibus abundant Martines de Ripalda diſp. 113. ſect. 13. Annatus de Scientia-Media diſp. 4. Paulus Leonardus parte 1. Reſponſionum ſuarum: eoque tantillo ſolatio illata domeſticæ doctrinæ vulnera oblinire ſatagunt. Audacius vero nuper in ſupplici Monitione, Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Rhemenſi facta, omnique jam pudore depoſito, Sanctiſſimi Pontificis famam, affectata per ſummam aſtutiam ſpecioſa præteritione, dilacerant; quaſi projectis, indigniſque Pontificiæ Dignitati corrivationibus, nimium in Prædicatores affectum induiſſet. Occulta ad hoc propudium affingendum inſtrumenta habere ſe, jactitant; ſeque ſpecioſa in ſacrum Nomen veneratione teneri, fingunt, ne illa in publicum edant: quaſi religioſo ſilentio Pontificiæ Majeſtati litare mallent, cum ipſo etiam domeſticæ cauſæ diſpendio. *Si id quidem auderemus*, inquiunt, *alia bene multa addi poſſent longe ſecretiora ex documentorum certiſſimorum fide, quæ argumenta nobis optima ſuppeditarent, cur Clemens VIII. ad hanc uſque diem adeo ſe in Prædicatores propenſum oſtenderit.* O frontem qualiumcumque Theologorum! Itane ſcenica illa modeſtia Pontificiæ Dignitati injuriam irrogare, & eruditorum forte credulitati illudere cogitatis? Proferte, ſi quid habetis, in medium, & occulta, quæ fingitis, documentorum veſtrorum ſacraria reſerate. Tanta nobis de veſtra modeſtia opinio non inſidet, ut, ſi quid cauſæ veſtræ juvandæ ſuppeteret, id vos omiſſuros, exiſtimemus, ut ſacratiſſimo Nomini benigne parcatis. Plus veſtro illo ſilentio læditis, quam prolixa declamatione læderetis. At vagis, ſtultiſque criminationibus ſuperior eſt tanti Pontificis fama, nec noſtris Apologeticis orationibus indiget.

(1) *Diſp.* 113. *ec.* 42. (2) *Cap.* 2. *v.* 14. 15. 16. (3) *Cap.* 19.

Quanto enim affectu Societatem complexus ſit Sanctiſſimus Pater, probant impenſa univerſo Ordini beneficia. Probat delata Toleto, ac Bellarmino Purpura, non ad Principum gratiam, ſed ſponte ſua, atque intimo cordis, ac voluntatis affectu.

Probat quotidiana pene benevolentiæ ſignificatio, dum quidquid illi in hujuſce cauſæ tractatione præter jus, & æquum concedi ſibi precabantur, lubentius indulgebat, malebatque ex abundanti gratificari, quam nimia Juris tenacitate ſolutos animos exacerbare. Probat longe felicius paterna illa, vereque Pontificia ſollicitudo, qua Societatem, e Gallia pulſam, Henrici IV. benevolentia reſtitui, & ad Clementiæ Sacra admitti providit: nec non zelus ardens, quo ſe apud Regem eumdem ſequeſtrum exhibuit, ne qui ex priori naufragio ſoſpites evaſerant, in exilium pellerentur. (1) Quantum enim Pontifici optimo enitendum fuerit, quam crebis, ac repetitis officiis certandum, ut hanc a Rege Maximo gratiam obtineret, iis manifeſtum fore arbitror, qui averſum Henrici IV. animum noverint, qualem is ſuis in Romana Curia Oratoribus non ſemel aperuit, dum de reſtituenda Societate rogaretur Sanctitatis Suæ nomine. *Sur la demande pour les Jeſuites* (ſcribebat ille Duci *de Luxembourg die* 17. Auguſti 1598. (*j' ai rèpondu au Legat ingenûment, que ſi j'avois deux vies, j'en donnerois volontiers une aut contentement de Sa Saintetè: mais que n' en ayant qu' une, je la devois menager, & conſerver pour mes Sujets, & pour faire ſervice à Sa Saintetè, & a la Chrètientè. Puis que ces gens ſe montrent encore ſi paſſionnès, & entreprenans, où ils ètoient demeurès en mon Royaume, qu' ils ètoient inſupportables, continuant à ſeduire mes Sujets, à faire leurs menèes, non tant pour vaincre, & convertir ceux de contraire Religion, que pour prendre pied, & authoritè dans mon Etat, & s' enrichir, & accroitre aux dèpens d' un chacun; pouvant dire mes affaires n' avoir proſperè, ni ma perſonne avoir ètè en ſuretè, que depuis que les Jeſuites ont ètè bannis d' ici; il ſeroit impoſſible, qu' en France ils fuſſent vus de bon œil, & ſoufferes par ceux, qui aiment ma vie, & mons repos.* Quod ita Latine dicas: *Quod attinet poſtulationem pro Jeſuitis mihi factam, Legato Pontificio ingenue reſpondi, me quidem, ſi duplex vita ſuppeteret, alteram in Suæ Sanctitatis implendo deſiderio libenter poſiturum: at cum unica mihi a Deo O. M. ſit conceſſa, huic tuendæ, ſervandæque invigilare opus eſt, cum ut Subditorum commodis, & utilitati inſerviam, tum ut hoc etiam pacto Sanctitatis Suæ, & Chriſtiani nominis bono conſulam. Cum enim iis Regni partibus reſidui, qui manent, ad quælibet audenda adeo ſe fervidos, & acres exhibeant, ut vix ultra ferri poſſint, ſubditoſque clandeſtinis conſiliis in partes diſtrahant; non tam exſtirpandi erroris ſtudio, quam obtinendæ intra Regni fines auctoritatis, pecuniæque cæterorum damno coacervandæ cupiditate; ut mihi affirmare jure liceat, nunquam mihi proſpere ceſſiſſe res meas, aut vitam in tuto poſitam, niſi ex quo tempore in exilium acti ſunt: ab iis in Gallia grato animo excipi omnino non poſſent, qui me quietum, & ſoſpitem optant.*

Quibus non abſimilia ſignificavit Rex Maximus anno 1599. cadente Menſe Januario, dum Domino de Sillery, Romanam Legationem obituro, hoc in Jeſuitarum cauſa Mandatum dedit. *Le Sieur de Sillery aſſurera auſſi Sa Saintetè, que Sa Majeſtè a très-bonne volontè de favoriſer pour ſa conſideration les Colleges des Jeſuites, qui ſont demeurès en ſon Roiaume, pourvu qu' ils ſe comportent a l'avenir envers Elle, & ſes Sujets, comme ils doivent faire, & que ſous prètexte de Religion, ils ne troublent le repos de ſon Etat, ni ne s' entremèlent des affaires publiques, comme aucuns d' eux ont osè faire ci devant, avec plus d' imprudence, que de zele, & de Religion. Ce, qui les a rendu ſi odieux, avec la convoitiſe, qu' ils ont demonſtrè avoir de s' accroitre, & de s' enrichir, & les attentats, qui ont ètè faits contre la Perſonne de Sa Majeſtè à leur inſtigation, que ſi Sa Majeſtè eut ſecondè les volontez de ſes Sujets contre eux, & les Arrèts du Parlement, qui s' en ſont enſuivis, ils euſſent encore ètè traitez pus rigoureuſement, qu' ils n' ont ètè. Et combien qu' en cela Sa Majeſtè ſe ſoit oppoſè aux deſirs & conſeils de ſes Officiers, & Sujets, pour obvier aux inconveniens, qui pouvoient avenir de la temeritè d' aucuns particuliers Jeſuites, leſquels ont cauſe cette publique haine contre tout l' Ordre; toutefois il eſt certain, que Sa Majeſtè a toûjours plûtoſt moderè qu' aigri les choſes contre eux: portèe du ſeul deſir de complaire a Sa Saintetè; car elle n' a aucune occaſion d' ètre contente de ceux du dit Ordre; les quels depuis ledit banniſſement, n' ont ceſſè de faire en ſecret, & en public toutes ſortes de menèes, & mauvais offices, pour nourrir la diſcorde entre ſès Sujets, dècrier les actions de Sa Majeſtè, dont ils ſont profeſſion de juger plutôt par paſſion, & par l' avis d' autrui, que par la veritè d' icelles, & par raiſon.* Quæ verba Latine reddideris: *Dominus de Sillery Sanctitati Suæ ſignificabit, Majeſtatem Suam, illius quidem gratia, inclinari ad officia Jeſuitis in Regno reſiduis impendenda; modo deinceps erga Majeſtatem Suam, ejuſque ſubditos ita ſe gerant, ut debent, nec ſpecioſo Religionis obtentu turbas in Regno faciant; neve publicis negotiis ſeſe immiſceant, uti illorum aliqui hactenus attentarunt, majori quidem animi cæcitate, quam zelo, ac ſtudio Religionis. Quæ res ita illis publicum odium concitavit (attenta præſertim eorumdem immodica auctoritatis, & opum cupiditate, & attenta, ipſis inſtigantibus, in Regis vitam molitione) ut cum eis longe acerbius actum eſſet, ſi Rex ipſe ſubditorum genio, & ſupremi Senatus Edictis morem geſſiſſet. Ac licet eo in capite Majeſtas Sua votis, atque conſiliis Miniſtrorum, & ſubditorum ſemper obſtiterit, ut incommodis, privatorum quorumdam Jeſuitarum audacia orituris, occurreret, qui publicum illud in Societatem odium concitarunt; id inſuper certum, Majeſtatem Suam ſingula temperaſſe potius, quam irritaſſe; ut Sanctitatis Suæ genio reſponderet. Nulla quippe Regi cauſa eſt, cur illius Inſtituti Profeſſores amet: Quippe qui, ex quo tempore in exilium acti ſunt, omnia & palam, & ſecreto tentarunt, ut turbas inter ſubditos foverent, ac cierent, Suæque Majeſtatis agendi rationem improbarent; quam malo potius animo, & ex aliena ſententia, quam ipſa rei veritate interpretari malunt.* Ita ferunt documenta, ad Hiſtoriam Cardinalis *de Joyeuſe* ſpectantia, a Clariſſimo viro Auberio, Senatus Galliarum Advocato, publicæ luci data, Anno 1654.

Tantus nihilominus fuit Clementis VIII. in Societatem amor, ut repugnantem Regis animum precibus, ac repetitis officiis vicerit. Jeſuitis exulibus Sceptra, Jovemque conciliavit optimus Pontifex, ac exitu quidem adeo ſecundo, ut non modo in Henrici gratiam redierint univerſi, verum etiam inuſitatis Regiæ munificentiæ monumentis ſupra votum aucti fuerint. Nemo ergo Clemen-
tem

(1) *Lege Ciacconium in Clement. VIII. & Card. Oſſatum Epiſt. 27. ad D. de Villero.*

tem Societati minus affectum dixerit, niſi qui illuſtriora paternæ benevolentiæ argumenta averſi animi judicia interpretari voluerit.

Nihilo firmiori titulo nititur exceptio altera de circumvento ab Hiſpanis, in gratiam Prædicatorum, Summo Eccleſiæ Hierarcha. Oppoſitum evincunt hujus Hiſtoriæ documenta, non obſcura quidem, & in angulis poſita, ſed ab ipſis nugarum iſtarum venditoribus comprobata. (1) Quid etenim ſibi volunt tot illæ, ab Hiſpaniæ Principibus, Magnatibus, Academiis, Epiſcopis ad Clementem VIII., cæteroſque hujus cauſæ cognitores datæ, Epiſtolæ, quibus ad Societatis gratiam importunius ſupplicabant? (2) Quid Epiſcopi illi, qui, cum primum rumor excitari cœpit, Pontificis animum adeo in Prædicatores exacerbarunt, ut non niſi longo poſt tempore, compertaque rei veritate, præconceptam de illis opinionem exuerit? (3) Quid Inquiſitores nonnulli, qui Mandata Pontificia, in Hiſpaniam tranſmiſſa, vitiarunt, ne Fratres Prædicatores juris prærogativa potirentur? (4) Quid Archidux Albertus, Luſitaniæ Prorex, non Molinæ tantum mecœnas, quo favente, & obſtetricante, lucem aſpexit CONCORDIÆ liber; ſed & aſſiduus cauſæ hujus Procurator, & Actor? (5) Quid ejus Mater Imperatrix Auguſta, quæ toties Eminentiſſimos Cardinales, huic examini præpoſitos, epiſtolis defatigavit, ut pro Molina ſententiam dicerent? Hiſpaniæque Oratorem, ut ſua illi officia impenderet, adhortata eſt? (6) Quid potentiſſima Borgiadum Familia, quæ repetitis precibus, & impenſis officiis, Molinæ cauſam ſuam fecerat? (7) Quid Comes Ferdinandus componendæ controverſiæ, ac ſopiendæ litis ſequeſter exhibitus? (8) Quid demum Hiſpaniarum ſupremus fidei Cenſor, ac ipſe etiam Catholicus Rex, qui præcipites, & antelucanos ferendi prope-diem judicii Pontificii deriſores, Complutenſi carcere detentos, contra promiſſorum fidem libertate donarunt?

Itane vero ſunt hæc impenſa Prædicatoribus officia, quibus Hiſpani Clementem VIII. eorum partibus devincire ſatagebant? Si ita eſt; nihil vetat, quominus Jeſuitas ipſos Prædicatoribus patrocinatos aſſeramus. Interea tamen, ſi iis Hiſpanorum officiis Germanorum Principum preces, Summo Pontifici pro Jeſuitis oblatas, addideris; (9) Si Sereniſſimi Bavariæ Ducis impenſum Molinianæ cauſæ patrocinium; ſi Henrici IV. Galliarum Regis exhibita ſtudia contuleris; (10) totam pene in gratiam Societatis conſpirantem Europam videbis, atque uni, ſi recte ſapis, æquitati cauſæ adſcribendam fateberis Prædicatorum victoriam. Sed ea fuit adverſæ partis induſtria, ut pro imminuenda triumphi gloria, vagos illos de impenſo a Philippo III. Prædicatoribus patrocinio rumores evulgaret. Qui, cum nulli nota non eſſent, quæ in hujuſce cauſæ tractatione Societati officia contuliſſet Galliarum Rex Chriſtianiſſimus, Hiſpaniarum Regem Prædicatoribus ex adverſo nimis addictum commenti ſunt, ut humani favores æqua trutina penderentur; dictumque Poetæ in tanto Principum conflictu cani poſſet:

Sæpe, premente Deo, fert Deus alter opem.
Mulciber in Trojam, pro Troja ſtabat Apollo:
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Supplicavit equidem, fateor, Rex Catholicus pro Apoſtolica controverſiæ definitione; qua ſola Hiſpaniæ inteſtino bello diſciſſæ pacem reſtituendam arbitrabatur. Cauſam quantocitius eliquari voluit, ac per ſuos in Romana Curia Oratores, & Adminiſtros urgeri, juſſit, ne ſera procraſtinatione res evaneſceret. Cæterum nihil egit, nihil ſcripſit, quo propenſiorem alterutri parti voluntatem innueret. Jus pro cauſæ merito dici, voluit æquiſſimus Princeps: nemoque erit, opinor, qui apicem ejus in Epiſtolis obſervarit, quo in Prædicatores inclinaſſe, videri poſſit.

Quapropter non poteſt fallacibus Cardinalis Perronii ſuſpicionibus non adſcribi, quod in ejus ad Henricum IV. Epiſtola legimus; quodque adeo nuper amplificabant Molinianæ cauſæ Vindices, in ſupplici Monitione, Illuſtriſſimo Archiep. Rhemenſi facta, (11) occaſione Cenſuræ in nonnullas Societatis Theſes, ab ejus Celſitudine pronunciatæ: (12) *Hiſpani palam, & aperte Dominicanis patrocinantur, ex odio, ut arbitror, Generalis Societatis, ac Jeſuitarum pene omnium, qui pronum in Majeſtatem Veſtram affectum demonſtrarunt: videnturque, Religionis quæſtionem controverſiæ politicæ loco habere*. Politicis quippe viris ſolenne eſt, quoslibet æmulorum motus in malum omen accipere, res omnes pro partium ſtudio amplificare, immo & ſiniſtris interpretationibus inficere. Idem ſcilicet eos inter uſuvenit, quod in arte bellandi experiuntur Imperatores. Nullus eſt vel leviſſimus hoſtium motus, nulla novi apparatus ſpecies, ſtationis mutatio nulla, quæ illorum animos non moveat, vel offendat, aut in vanas ſuſpiciones inducat. Quid itaque mirari ſubeat, ſi ea ætate temporum, qua Gallos inter, & Hiſpanos graviſſima odia verſabantur, Perronius, Jeſuitarum rebus ex Henrici IV. mandato promovendis totus intentus, Hiſpanorum zelum, in urgenda controverſiæ definitione, minus æque interpretatus ſit; ſuarumque Epiſtolarum ſtilum Principis ſui genio, & affectibus accommodarit? Quid mirum, inquam, ſi, ut erat adverſis ſtudiis occupatus, myſteria, & arcana finxerit, ubi non erant; falſiſque rerum imaginibus ſponte deluſus, calamum ad Aulæ ventum acuerit? Quales enim in Aulis agantur fabulæ, vos dicite Principes.

Nec vero Perronio deerant politicæ rationes, quibus ad eam ſcenam agendam adducebatur. Hiſpani ſcilicet Henrico IV. ſubinfenſi, qui canonicæ ejus abſolutioni non ita pridem omnibus artibus interceſſerant, traducendi videbantur: indulgendum Chriſtianiſſimi Regis voluntati, cui neceſſe pene erat, reducem ab exilio Societatem fovere, ac protegere: devinciendi Jeſuitarum animi, ut ejus orthodoxiam Romæ magnificentius prædicarent: deprimendi Prædicatores, in Gallia tunc temporis minus accepti, & a publicis Curiæ numeribus nuper amoti: palpandus demum Cottonius, primus e Societate ad Regis confeſſiones in Aulam vocatus. Quæ omnia viris, politicæ ſcientiæ peritis, qui vultum, & oculos ad omnem fortunæ ventum erudire ſolent, levioris momenti videri nequeunt.

Abſit tamen, ut Eminentiſſimi Viri gloriæ quidquam imminutum velimus: ſed quæ fateri non erubuit ipſe, ea referre, nobis religio non fuit. In Gallias enim reverſus, poſt ſolutas tandem

(1) *Paul. Leon. 1. p. ſect. 7. 8. & 9.* (2) *Lib. 1. c. 21.* (3) *Lib. 1. c. 26.* (4) *Lib. 1. cap. 13.* (5) *Lib. 2. c. 4.* (6) *Lib. 2. c. 28.* (7) *Lib. 3. cap. 7.* (8) *Lib. 2. cap. 30.* (9) *Lib. 2. cap. 28.* (10) *Lib. 4. cap. 1.* (11) 23. *Janu.* 1606. 7. *Febr.* 1605.

(12) Les Eſpagnols font profeſſion ouverte de proteger les Jacobins, en haine, comme je crois, de l'affection que le P. General des Jeſuites, & preſque tous ceux de ſon Ordre, ont montrè de porter a Votre Majeſtè: & il ſemble que d'une diſpute de Religion, ils en veuillent faire une querelle d'Etat.

dem Auxiliorum diſputationes, Baſtidæ Lutetia in Hiſpaniam iter agenti, dum ipſum ſalutatum inviſeret, conteſtatus eſt Eminentiſſimus Princeps, non ea ſe in Societatem officia contuliſſe, quod ejus doctrinam probaret; ſed ut Regis, cujus erat Orator, nutibus, ac ſtudiis reſponderet. Dicti fidem facit Guilielmus Gibieuf, Congregationis Oratorii Presbyter, qui Lutetiæ tunc temporis verſabatur. (1) *Cardinalis Perronius Baſtidam Jeſuitam ad colloquium admiſit, quo tempore Lutetia in Hiſpaniam iter habens, Regia in urbe aliquandiu ſubſtitit. Cumque bonus Pater magno ei ſtudio rationes exponeret, quibus ſcientiam conditionalium Deo neceſſariam contendebat, ut homines, illæſa libertate, convertat; ſignificavit Cardinalis, longe ſe ab illo ſentire, ac inter alia repoſuit:* Quare enim non poteſt Deus, dare Gratiam, per ſe, & abſolute Victricem? *Aderat huic collationi præſens Dominus Duvallius.* (2) *Obſtupuit bonus Pater, animadvertens, Cardinalem longe aliter ſentire, quam putabat ipſe; cumque propterea rogavit ſupplex, ut rem totam ſilentio tegeret. Novit tunc, quantum diſcriminis interſit virum inter, qui ex Oratoris officio Principis ſui cauſam agit, & Theologum, qui Doctoris perſonam ſuſtinet. Romæ dum eſſet Perronius, Oratoris partes agebat, voluntati Regis obſecutus, qui hanc illi Societatis cauſam adverſus Prædicatores commendaverat: hic vero pro Doctoris officio, quid reipſa ſentiret, libere pronunciabat. Totum id mihimet ipſi enarravit Dominus Duvallius.* Ita Doctiſſimus P. Gibieuf, in manuſcripta prænotatione ad exemplar editi ſui operis, *De libertate Dei, & creaturæ*, quod ad proprium uſum habebat, & ad novam curandam editionem caſtigaverat: Cujus Codicis demum fuit hæres Petrus de Moiſſey, præclaris in Oratorii Congregatione muneribus illuſtris.

Quæ ego mente dum recolo, ſubit animum Pelagianæ quondam Sectæ jactura non levis; cum Sixtus Presbyter, quem cauſæ ſuæ præcipuum defenſorem jactaverant Gratiæ adverſarii, alieniſſimum tandem eis animum declaravit. Quo caſu triumphabundus Auguſtinus lætitiæ ſenſus expreſſit, data ad ipſum Epiſtola 104. *Quid gratius*, inquit, *legi, vel audiri poteſt, quam Gratiæ Dei tam pura defenſio adverſus inimicos ejus ex ore ejus, qui eorumdem inimicorum magni momenti Patronus antea jactabatur?* Et Epiſtola 105. ad undem: *Triſtes eramus nimis, cum fama jactaret, inimicis Chriſtianæ Gratiæ te favere. Sed ut hæc triſtitia de noſtris cordibus tergeretur, primo te priorem anathema eis in populo frequentiſſimo pronunciaſſe, eadem fama non tacuit.*

Reſtat atrocior in Clementem VIII. criminatio diluenda, qua, uti Scientiæ-Mediæ ſenſus, & arcana minus edoctus, accuſatur. Criminationem inſtruit Franciſcus Annatus, (3) ea ratione nixus, quod in publicis Diſputationibus identidem ſignificaverit, lumine Scientiæ-Mediæ præſciri juxta Molinam bonum liberi arbitrii uſum, quem faceret natura, non gratia. Quæ res, inquit Annatus, a Molinæ mente remotiſſima eſt, ſecundum quem liberi arbitrii uſus, ex hypotheſi duntaxat gratiæ elevantis, & adjuvantis, præſciri ſupponitur.

Verum ad populum phaleras. Nos hujuſcemodi tricas, in publicis congreſſibus vendicatas, ſcimus, & ab eruditiſſimis cauſæ Cognitoribus exploſas. Ea larva Molinæ ſenſum obtexit Ferdinandus de Baſtida in Congregationibus 21. 27. & 29. ſed conatu prorſus irrito. Specioſa Molinæ verba de conſenſu liberi arbitrii, ſub gratia conſtituti, quibus Scientiæ-Mediæ ſyſtema cohoneſtare nituntur Defenſores ejus, uti frivola, & æquivoca demonſtravit Thomas de Lemos: Semipelagianos iiſdem illis, ad fucum faciendum, abuſos, oſtendit: Explicatiſſimos Molinæ contextus adduxit, ubi liberum arbitrium, ſub gratia duntaxat verſatili, & invitante conſtitutum, non ex ipſius gratiæ potentia, ſed innata ſibi libertate aſſentiri, atque operari, profitetur: ſic ut mirari jam ſubeat, novos iſtos parum ſinceros litigatores obtrita, atque obſoleta arma recudere, ad obtegendum novitii dogmatis virus, & eruditiſſimo Pontifici inſcitiæ labem irrogandam.

Quanquam, etſi vindicandæ Clementis famæ diſputationum Acta præſto non eſſent, juſta facti præſumtio ſufficeret. Solido quippe ſeptennio Controverſia tractata fuerat: quæſtiones juris, & facti quam diligentiſſime diſcuſſæ: mutui congreſſus pro exponendis utriuſque Scholæ dogmatibus indicti: Academiarum, & Epiſcoporum collata ſuffragia: partium Procuratores tum ſcripto, tum voce quinquies auditi: lecta ter, & amplius juris, ac rationum inſtrumenta: Cenſorum denique judicia mutuo conſilio meditata ſunt. Vel ergo Clementem VIII., cæteroſque aſcitos Judices, ſtipites fuiſſe oporteat, qui totius controverſiæ caput, ipſamque Molinæ mentem, tanta licet præmiſſa ſollicitudine, non attigerint: vel Annatum immodicæ dicacitatis reum fateri, neceſſum eſt, qui Scholæ ſuæ ſenſa callide diſſimulat, cæteriſque ignorantiæ labem tam liberaliter affingit.

Sed & adhuc expoſtulat in oppoſitum Paulus Leonardus, (4) hocque ultimo telo, rubigine jam exeſo, Clementis VIII., ſeu verius, Pontificiæ Dignitatis famam petit. Quæ tanta, inquit, Thomiſticæ doctrinæ gloria, ſi ſecundum illam duo privati Pontifices forte ſenſiſſent? Quid tanti inde præſidii reportaret, cum & Pontifices falſas interdum opiniones ebiberint; ac ipſe etiam Joannes XXII. errorem de Beatitudinis procraſtinatione prædicaverit? Quaſi vero non aliud omnino ſit, Pontificem occultum aliquem errorem privatim ebibere, eoque ſe, nulla præmiſſa conſultatione canonica, inficere, aut eam aliis per fas, nefaſque propinare velle: quod de Joanne XXII. ſcribunt aliqui: aliud, doctrinam aliquam, auditis utrinque partibus diffidentibus, Academiarum, Epiſcoporum, Theologorumque ſuffragiis conquiſitis, diligenti plurium annorum examine inſtituto, ſacro Cardinalium cœtu habito, effuſis pro Divina ope obtinenda ſolennibus in Urbe ſupplicationibus, induiſſe; omniaque demum ad ferendum judicium ultimo perduxiſſe: quod de Clemente VIII. ſatis aperte monſtratum eſt. Primum certe imprudentis conſilii eſſe, nullumque aſſertæ doctrinæ præſidium conferre poſſe, nemo neſcit: ſecus alterum.

C A-

(1) Le Cardinal du Perron parla au P. Baſtide Jeſuite, en cette Ville de Paris, où il paſſa, & fut quelque temps, allant de Rome en Eſpagne. Et comme ce bon Pere l'entretenoit avec grand ſoin de raiſons, qui rendoient la ſcience conditionelle neceſſaire a Dieu, prour convertir le ames, ſans interet de leur libertè; ce Cardinal lui fit connoitre, qu'il n'ètoit pas de ſon ſentiment; & lui fit entre autres cette repartie: *Quare enim non poteſt Deus dare Geatiam, per ſe, & abſolute Vitricem?* Feu M. Du Val ètoit preſent a ce pour parler. Et ce bon Pere tout ſurpris de remarquer en ce Cardinal des ſentimens bien differens de ce, qu'il attendoit, le ſupplia inſtamment de n'en rien dire a perſonne. Il connut alors, qu'il y a grande difference entre un homme, conſiderè comme Ambaſſadeur, & conſiderè comme Docteur. Etant à Rome il avoit parlè comme Ambaſſadeur, ſuivant la recommandation, que le Roi lui avoit faite de la cauſe des Peres Jeſuites contre les Jacobins: & alors il parloit comme Docteur ſelon propres penſèes. C'eſt a moi meme que M. Du Val a dit ce, que deſſus.

(2) *Du Vallius, Doctor. & Profeſſor Regius in Sorbona* (3) *Annatus diſp. 4. de Scien. Med. cap. 1.* (4) *1. Part. Sect. 5*

CAPUT XLV.

Clemens VIII. ferendæ ſententiæ voluntatem ad mortem uſque gerit, nec ab ea Card. Perronii conſiliis dimovetur.

ITa ſemper affectum fuiſſe Pontificem optimum, adeo certum eſt, ut ſane otioſi eſſet hominis, in re compertiſſima diutius immorari, niſi refractariorum quorumdam ingeniorum contumacia cogeremur. Nuperrimus Quæſtionum Author, ſuorum exempla ſecutus, probandum ſibi ſumit, (1) veriſimillimum eſſe, Clementem VIII. ſub finem diſputationum longe magis in Jeſuitas, quam in Dominicanos pependiſſe; veriuſque phyſicam Prædeterminationem, quam Molinæ doctrinam damnaturum fuiſſe, ſi ſententiam ex tribunali ferri contigiſſet. Binis argumentis, iiſque, ut jactat, *indubitatis*, paradoxum ſuperſtruit, ab omni veri ſpecie remotiſſimum. Primum eſt, ſervari in Societatis Tabulario Romano exemplar Concordiæ Ludovici Molinæ, Generali Præpoſito ab Cardinali Aldobrandino dono datum, quo olim Clemens VIII. utebatur: ubi non pauca Authoris loca, quibus laxiores ejuſdem Propoſitiones temperari videntur, ab ipſo Summo Pontifice minio diſtincta, cernere eſt. Sic cum pag. 17. ſtatuiſſet Molina, *Cum ſolo concurſu generali Dei, abſque alio dono, vel auxilio Gratiæ, poſſe hominem efficere opus, bonum morale, quod fini naturali hominis accommodatum, atque comparatione illius ſit vere bonum, & virtutis opus*; hujuſque ſententiæ pravitatem ſubjectis verbis temperaſſet: *non tamen quod fini ſupernaturali ſit accommodatum; quodque comparatione illius, bonum ſimpliciter, ac virtutis opus dici queat*; totam illam pericopen interjectis lineis notaverat Summus Pontifex. Non abſimiliter verſum integrum pag. 19. quo Catholicam adverſus Semipelagianos ſententiam videtur adſtruere, minio diſtinxerat. *Liberum Arbitrium, cum ſolo concurſu generali Dei, nihil efficere poteſt, non ſolum quod vitam æternam, aut gratiæ incrementum promereatur; ſed neque quod, tanquam ordinem, ac finem naturalem tranſcendens, commenſuratum cum fine ſupernaturali aliquo modo ſit; etiam tanquam remota diſpoſitio ad gratiam tam ex parte voluntatis, quam intellectus: ſed ad id omne indiget auxiliis, & ope ſupernaturali*. Aliaſque id genus Authoris Sententias ducta linea notaverat, pag. 21. 25. 27. 29. quæ poſitis aſſertionibus, errorem Pelagianum prima ſpecie referentibus, temperamenti loco videri poſſint. Unde colligit Molinianus Actor, Clementem VIII., tametſi initio diſputationum alieniore animo eſſet; ex quo tamen Concordiæ Librum ſuis ipſe oculis legere cœpit, Molinæ orthodoxiam probaſſe, priſtinoſque ſenſus penitus exuiſſe.

Dignam Moliniano diſputatore conſequentiam! Nonnullos Molinæ verſus minio diſtinguit Clemens VIII. igitur Molinæ doctrinam probat: Quaſi non niſi probandi animo, verſus aliquis ducta linea, aliove ſigno notari poſſit. Certe, cum varias ad marginem appendices, Clementis manu exaratas, moneat fervidus Diſputator; mirundum plane, nullam ab eo laudari, qua Molinæ doctrinam probarit Pontifex; ſed ductas certis periodis lineas oſtentari, tanquam certiſſima probatæ doctrinæ argumenta. Non itaque purgandi animo lineas illas duxerat Pontifex; at longe diverſo. Quoniam illo? Dicam breviter. Ut cœpit Clemens VIII. Congreſſibus intereſſe, prima illi cura fuit, diligentius inveſtigare, num, quæ identidem Molina interſerit, laxiorum opinionum temperamenta, queis, ut anguis, elabi nititur, eumdem ab erroris labe re vera liberent; an non verius, illa ipſa pigmenta ſint, quibus ad minuendam invidiam ſuos Semipelagiani errores obducerent. Hinc ſæpius diſputatum: *Utrum Caſſianus, & Molina eadem modo temperent ſuam propoſitionem?* Quare, ut ea Molinæ temperamenta, ad criſim vocanda, ſibi ante oculos poneret, Concordiam lectitans minio diſtinguebat; eaque ſubinde primo conſpectu cognoſcebat, dum ei diſputationum Argumenta præfigenda erant. Res patet ipſa per ſeſe: nam illas ipſas Molinæ periodos, quas interjectis lineis a Clemente notatas obſervat Molinianus Actor, a Sanctitate Sua ad examen propoſitas legimus, Congregationibus 2. 3. 11. 13. 23. 23. 25. 33.: tantumque abeſt, ut eas, inito examine, amovendis erroris ſuſpicionibus opportunas exiſtimarit; ut potius Dominicani Interlocutoris partes identidem ſumens, Pelagianos iiſdem, ad fucum faciendum, temperamentis uſos, demonſtraverit. Ecquis etiam certo ſpondeat, Clementem eas Molinæ periodos nonniſi extremo diſputationum adnotaſſe, ac tunc tantum Concordiæ Librum propriis oculis lectitaſſe, ut ſtatuit Cavillator; an non potius, dum agitari cœpta eſt controverſia? cum etiam ſub ipſo litis exordio omnia diligenter expenderet, totoſque dies libris, ac codicibus daret; nec ita inſtituti examinis onus in Conſultores devolveret, quin partem laboris, ac ſtudii maximam in se ſumeret.

Alterum momentum, quo Clementem VIII. ſub finem diſputationum in Societatis partes inclinatum probare ſatagit Leodius Diſputator, ex ejuſdem Scripto, quindecim articulis comprehenſo, petitum eſt. (2) Clementis, inquit ille, de controverſis Quæſtionibus ſententia eo Scripto integra continetur: at parum ab illo aberrabant Jeſuitæ; quippe qui duos duntaxat illius articulos inficiati ſunt, dum de Gratia ſe ipſa efficaci ſub Paulo V. diſputatum eſt: Nempe quintum, his verbis expreſſum: *Gratia habet ſuam efficaciam ab omnipotentia Dei, & a Dominio, quod ſua Divina Majeſtas habet in voluntates hominum, ſicut in cætera omnia, quæ ſub cœlo ſunt, ſecundum S. Auguſtinum*: Et duodecimum, qui ſic habet: *Hæc Dei gratia neceſſaria eſt ad ſingulos actus*. Clemens ergo in Jeſuitarum ſententiam venerat. Qud-ni potius oppoſitum colligamus? ſi enim Moliniani capita illa duo, queis Controverſiæ cardo vertitur, inficiabantur; univerſa autem, nullo prorſus excepto, Thomiſtæ recipiebant: quis non videat, Clementem cum Dominicanis plane ſenſiſſe; cum Molinianis non item; ſed in levioris duntaxat momenti capitibus, quæ ii, deſerto jam Molina, aut certe illius cauſa diſſimulata, una cum Thomiſtis amplectebantur? (3) Dixi, diſſimulata Molinæ cauſa; quod is illa capita oppugnaſſe, diu ante convictus eſſet; doctrinamque, in illis expreſſam, nude jam ſpectarent Societatis Oratores, ut minori invidia laborarent. At id etiam falſum, Clementis VIII. de controverſis Quæſtionibus ſententiam hoc unico Scripto integram contineri; cum alia numero undecim elaboraſſet eruditus Pontifex, articulos quadraginta quinque complexa, ut diſputationum Argumenta præfigeret, in quibus eventilandis procul ab ejuſdem mente abierant Moliniani.

Sua igitur fervido Diſputatori periit opera, dum Clementem VIII. in Societatis partes tandem inclinatum, adeo futilibus Argumentis effutiit. Quam ſiniſtra illi de Moliniſmo inſideret opinio, cadente anno 1601. quam certa illi ferendæ damna-

(1) Quæſt. 1. Cap. 12. (2) Extat in App. (3) Vide Congreg.

damnationis voluntas, ſatis evincit Cardinalium Montaltii, & Bellarmini amica collatio, in ſacello S. Marcelli habita. Quis illi ſenſus eſſet anno 1602. probat Bellarmini e Roma diſceſſus, ac data, dum vaſa colligeret, ad Clementem Epiſtola. Quæ mens anno 1603., oſtendit faceta reſponſio, qua Cardinalem Aldobrandinum excepit, de æterna Valentiæ ſorte interrogantem. Quis animus anno 1604., Jeſuitæ Galli nos docent, qui imminentis Judicii metu perculſi, Clementem, cæterorum Pontificum indeficientiæ privilegio devolutum, publicis theſibus propugnarunt. Quæ demum voluntas anno 1605., dum præcipiti fato ereptus, injudicata cauſa, exceſſit ad ſuperos, teſtatum reliquit Alexander Ziliolus. Quæ omnia diſtincte ſuis locis enarravimus: nulla ut ſuboriri dubitatio poſſit. Alia quid referam? Legat, qui ſcrupulum patitur, ſuperioris Libri caput 24. & 25. ubi ardens finiendæ Controverſiæ deſiderium, pronumque in Prædicatorum doctrinam animum, adverſus importunos vitilitigatores demonſtravimus. Legat & hujus Libri tertii caput ſeptimum: ex Congregationibus vero, primam, ſecundam, tertiam, cæteraſque pene omnes, in quibus ſuam de Molinæ dogmatibus mentem explicatius aperuit. Legat demum, ſerioque ponderet eruditiſſimum Scriptum, (1) die 9. Julii 1603. adornatum, quo Prædicatorum ſententiam de efficacia Divinæ Prædeſtinationis, & Gratiæ, quindecim articulis expreſſam, variis S. Auguſtini teſtimoniis confirmabat. Hinc etenim Clementis VIII. firmam, atque extremam voluntatem colligere licet; cum eam lucubrationem, ſuæ de controverſis Dogmatibus ſententiæ teſtem, ad obitum uſque eſſe voluerit: ac ſecundum illam quæſtiones omnino dirimere propoſuiſſet, niſi ſolitæ Societatis dilationes obfuiſſent. Rei fidem faciunt Acta ipſa Secretarii, poſt enarratas Diſputationes, ſub ejus Pontificatu Romæ habitas. (2) *Die 22. menſis Januarii, anno Domini 1605., dimiſſa Seſſione, in qua DD. Conſultores dixerunt, quid ſecundum S. Auguſtinum ſentiendum ſit de dubio propoſito; S. D. N. præcepit Patribus Secretariis, ut ejus nomine ſignificarent utriſque Patribus, Prædicatoribus, & Societatis, ut parati eſſent ad reſpondendum in prima futura Seſſione*: „ An agnoſcerent, quindecim illos articulos, in magno Scripto, alias a „ Sua Sanctitate illis exhibito, diſtincte diſpoſitos, de efficacis gratiæ, & doni perſeverantiæ „ eſſentia, & neceſſitate, illiuſque cum arbitrii libertate concordia, ex diverſis libris, a S. Auguſtino contra Pelagianos, & eorum reliquias „ editis, excerptos, & confirmatos, continere veram, & genuinam doctrinam S. Auguſtini de „ gratia Chriſti: *Decreverat enim, brevi rem definire, & omnes controverſias, inter Patres Prædicatores, & Societatis exortas, omnino dirimere. Patres vero Secretarii, prout in mandatis habebant, Scriptum S. D. N. utriſque Patribus tradiderunt. Qui quamvis pariter id ſibi gratiſſimum fore, affirmarent, & Scriptum penes ſe haberent a die 9. menſis Julii anni Domini 1603. Patres tamen Societatis dixerunt, ſibi, ad reſpondendum Quæſito, opus eſſe ſpatium ad minus quindecim, aut viginti dierum; atque adeo precari ſe S. D. N., ne ante id tempus ſeſſionem indiceret. Quod cum Patres Secretarii S. D. N. retuliſſent, etſi aliquantulum commotus, quod dilationes iſtas illos caute affectare, putaverit; in hoc tamen, ſicut & in multis aliis, illis gratificari voluit.*

Nihil itaque dubitandum, ita fuiſſe affectum animo Clementem VIII. partim ob ſingularem, qua pollebat, eruditionem, partim ob felicem habitarum Diſputationum exitum, partim ob lata virorum eruditorum judicia, ut ſi majores in luce moras fata dediſſent, controverſiam omnem ſecundum Thomiſticam Scholam diremiſſet, litemque Prædicatoribus adjudicaſſet.

Sed, inquiunt litigatores profeſſi, (3) ſi id erat animo conſtitutum, quæ negotia Pontificem impedire potuerunt, ut ab anno 1597., quo hæc controverſia Romæ agitari cœpta eſt, ad annum 1605., quo vivere deſiit, pronuntiaret? Quæ tanta potuit eſſe occupatio, ut octo circiter annis non concederetur ſpatium trium verborum, quæ rei conficiendæ ſatis erant? Quidni potius credatur, (ſubjungunt) quamvis alieniore animo eſſet a doctrina Molinæ, impeditum tamen & ſucceſſu diſputationum, & magnorum Virorum conſilio, & occulta Spiritus Sancti providentia, quæ Vicarium Chriſti nunquam deſerit, ne ſententiam præcipitaret?

Tritæ huic querulorum declamationi ex parte toto paſſim opere ſatisfecimus. Clementem non occupationibus, ſed Societatis artibus, ſtrophis, querelis, dilationibus, a ferenda ſententia retardatum, ſatis, opinor, obſervare licuit. Rurſus quis diſputationum exitus fuerit, quid occulta Spiritus Sancti vis ſecretius afflaverit, produnt ſancita judicia, quibus Pontifex & Præſes ſedebat, & Arbiter. Scire reſtat, quinam magni illi Viri fuerint, quorum conſiliis Clementem VIII. a ferendo judicio abductum, fabulantur. Sunt illi (ſi Annato, ejuſque conſortibus (4) credimus) admodum unus; Cardinalis ſcilicet Perronius, qui eximium illud officium laboranti Societati impendit, dum Clementi, Prædicatorum ſententiæ definitionem meditanti, ſignificavit, *Curaturum ſe, ſi, quod meditabatur, definiret, ut huic Pontificio Decreto Univerſi Europæ ſectarii ſubſcriberent, ſancitamque doctrinam ſuis chirographis communirent*. Quo verbo Pontificem territum, dicunt, ne Apoſtolicam definitionem ederet, ob nimiam, quæ objectabatur, Calvinianæ, ac Thomiſticæ ſententiæ conſenſionem. Mirum, quam petulanter vulgatum illud Perronii verbum exaggeret nuperus Auctor ſupplicis Monitionis, Illuſtriſſimo Archiepiſcopo Rhemenſi factæ, ut illum a lata in Molinianas aſſertiones Cenſura abduceret. Hoc uno verbulo Molinæ cauſam confectam exiſtimat.

Jam hic ego ab iis obiter ſcire velim, quid Clementem ab edenda, quam meditabatur, pro Prædicatoribus definitione deterrere, neceſſe fuerit, ſi, ut ipſi quidem volunt, nuſquam ei ita decernere animus fuit, immo ſi, lecto Molinæ libro, ejus demum orthodoxiam probavit, & ad Jeſuitarum, quam ad Prædicatorum partes inclinavit magis? Mendaces oportet eſſe memores. Verum ita fuerit, ut objicitur: Clementem a ſancienda Prædicatorum doctrina dimovere, tentarit Cardinalis Perronius. Cujus erit, amabo, apud eruditos auctoritatis impenſum Societati beneficium, quod non cauſæ meritis, ſed Henrici IV. mandatis obtentum, faſſus eſt tandem Eminentiſſimus Princeps? Thomiſticam ſententiam invidioſa illa Calviniſmi accuſatione traduxerit, uti fingitur. Quis putet, Pontificem prudentiſſimum unius Perronii verbum, atque illud quidem vane, & inaniter jactatum, tot Cardinalium, Epiſcoporum, ac Theologorum judiciis, ſeptennio, & amplius meditatis, illico prætuliſſe? Itane prudentiæ, & æquitatis jura poſtulant? Mira ſane Scriptorum iſtorum induſtria in attollendis, & amplificandis rebus ſuis, alieniſque deprimendis! Unus alter, qui

(1) *Exſtat in Append.* (2) *Ex Actis Coron.* (3) *Eugen. Phil. Appen. ad Camer. Annat. diſp. 4. de Scientia Med. cap. 1.* (4) *Annatus. Eug. Phil. Theophan. Raynaud. Friſon. Paulus Leon. Ortega. Henao. Brietus.*

qui Moliniſticæ cauſæ faveat, legionis inſtar habendus eſt: qui adverſantur, obſcuri, aut plane nulli. At erat, inquiunt illi, Perronius longe doctiſſimus, omneſque Calviniſmi fibras internoverat. Bene eſt: ſed numquid alii ſtipites erant, aut Calviniſmi fibras neſciebant? Nunquid eas Madrutius ignorabat, qui Concilio Tridentino adverſus Lutheranos, & Calviniſtas Arbiter interfuerat?

Numquid demum cæteri omnes Purpurati Principes, Archiepiſcopi, Præſules, variorum Ordinum Theologi, qui contraria Perronio ſentiebant, uti homuntiones, atque umbratici traducendi? aut velut extrema concio, turba inops, & obſcura, Judiciorum ſacris ſubmovendi? Sic certe ſentire videntur Molinianæ partis Actores, qui quoties de celebri Auxiliorum Congregatione verba faciunt, unum Perronium, ac Bellarminum in ore habent, tanquam penes illos tota res ſteterit: cæteros, uti longa nocte ignotos, ſilentio mittunt; cum tamen minores in hujuſce Cauſæ tractatione duo illi partes habuerint, nec, niſi tarde admodum, ac pene jam ſero, in Judicium admiſſi ſint. Bellarminus enim ad Congregationem duntaxat ſexageſimam-nonam, coram Clemente VIII. habitam, inter Judices admitti cœpit; Perronius ad ſexageſimam-ſeptimam.

Cæterum paulo aliter ſe res habuit, quam ab æmulis objicitur. Et quidem Petrus Friſonius, Auctor *Galliæ Purpuratæ*, qui eam de Perronio Fabulam mutuatus eſt primus, non ad Clementem VIII. ſed ad Paulum V. ſermonem habitum narrat: nimirum ad illum ipſum, qui excitatam Auxiliorum Controverſiam ſilentio involvit: ut hinc videas, nequidem fabulatores inter, in ſuis narrandis næniis, bene convenire. Ciaconii Continuatores, qui Friſonium in aliis pene ſyllabatim exſcripſerunt, ejuſque ſuffragio tuti, Perronium involvendæ ſilentio controverſiæ Auctorem obſervarunt; ſcomma tamen, ab eo temere vulgatum, ex ejuſdem narratione reſciderunt. Habertius, qui, quod ſciam, Friſonii laciniam primus oſtentavit, ut eo probro Thomiſticam Scholam dehoneſtaret, illatam injuriam diu non tulit, ſed intra breve ſpatium, a viro pereruditio confutatus eſt; qui Perronii ſenſus a D. de Bellegarde, Senonenſium Archiepiſcopo, Cardinali, dum viveret, intimo, ac familiari, didicerat. Tantas ſcilicet difficultates initio fabula paſſa eſt, dum a ſuis in ſcenam induci cœpit! Certe Purpuratum Principem nuſquam ita invidioſe de Scholæ Thomiſticæ doctrina locutum, fatebitur, quiſquis mentem ejus, & agendi rationem ſerio perpenderit. Etſi enim Perronius, Henrici IV. juſſis obſecutus, apud Clementem adlaborarit, ut, quam ad obitum uſque geſſit, ſanciendæ Prædicatorum ſententiæ voluntatem retardaret; non obſcura tamen ſuppetunt argumenta, quibus eum ſolis politicis rationibus ductum arbitremur, quin Prædicatores vel cauſæ meritis inferiores, vel Calvinianis dogmatibus nimis affines exiſtimaverit. Facit ad id in primis Eminentiſſimi Principis denunciatio, Baſtidæ adeo ſincere, & ſolenniter conteſtata. (1) Idem juvat, quod in Actis Secundæ Congregationis, habitæ ſub Paulo V. die 20. Septembris 1605., apud Lemoſium obſervatur. Ubi cum Dominicanus interlocutor, Cardinalis Perronii dubitationi ſatisfaciens, (qua Calvinum minus male de humana libertate, Divinaque præſcientia ſenſiſſe, ſubinnuerat) multa ex occaſione dixiſſet, ad Calvinianæ, & Thomiſticæ ſententiæ differentiam demonſtrandam, dictis annuit Eminentiſſimus Vir.

Illud idem confirmat ejuſdem Perronii longe diverſa de D. Thoma, quam de Molinæ Vindicibus exiſtimatio. De D. Thoma quidem ita præclare ſentiebat, prout legimus in Perronianis. (2) *S. Thomæ Summa omnium illius Operum compendium eſt, ac veluti Teſtamentum ejus, & extrema voluntas. Hanc Academia Pariſienſis, uti miraculum, & Scholaſticæ Theologiæ oraculum, ſemper habuit, publice legit, atque etiam, ſi dicere fas eſt, adoravit.* De Molinæ Defenſoribus longe aliter. (3) *De diſputatione Auxiliorum cum Epiſcopo Nannetenſi, & Abbate Victorino ſermonem habens, quo ſe loco*, inquit, *Jeſuitæ verterent, neſciebant. Valentia ſupra mortalium omnium ſortem pudore ſuffuſus hæſit; eoque præconcepto dolore confectus interiit.* Similiter & de Suareſio, Molinianæ doctrinæ accerrimo defenſore: (4) *Suares*, inquit, *in factis, & dogmatibus antiquis, mortalium omnium ignorantiſſimus eſt. Librum, ab eo editum, obtulere mihi Jeſuitæ Taurinenſes, magno apud illos in pretio habitum. Quibus ego innumera teſtimonia digito monſtravi, adeo inepte, ſtolide, & ignoranter ab illo extorta, ut nihil magis; atque etiam omnino falſata. Hunc acutiſſimum Doctorum omnium Metaphyſicum haberi, dixit P. Coeffetæus: cui reſpondi: Sit ita; ſæpius tamen puris, putiſque ſophiſmatibus evaneſcit. Suares Scholaſticorum omnium peſſime de Divina Euchariſtia ſcripſit*: Quis porro virum ſic affectum, adverſus D. Thomæ Scholam pro Moliniana ſenſiſſe, ac pronuntiaſſe, ſibi fingat?

Accedit abnutivum quidem, ſed interim efficaciſſimum argumentum. Si etenim de Prædicatorum cauſa ita male ſenſit eruditiſſimus Perronius; cur tot in Epiſtolis, ad Henricum IV. directis, quibus eum de hujuſce controverſiæ progreſſu commonebat, nuſquam ſuos illos ſenſus aperuit, quos ei gratiſſimos fore, non dubitaſſet? Aut ſi Thomiſticæ Scholæ doctrinam Calvinianæ adeo affinem arbitrabatur; cur Clementem, ne illam Decreto ſanciret, duntaxat deterruiſſe fingitur, ac non etiam, ut eam omnino proſcriberet, impuliſſe? Certe qui Molinæ dogmata Pelagianiſmi luto hærere, cenſebant viri Judices, non ea tantum in Catholicas veritates abire, ac definiri, non ſinebant, verum etiam ut putidos errores proſcribi, atque damnari, poſtulabant. Quorſum igitur Perronium in proſcribenda hæreſi minus ardentem, aut in tuendis Prædicatorum partibus nimis fervidum opinari, fas erit, ut ab illorum urgenda damnatione temperaſſet, ſi eos hoc in errore verſari, judicaſſet?

At nihil æque Viri maximi mentem de controverſis Molinæ dogmatibus in aperto ponit, quam quæ de auxilio efficaci, de ſufficientis gratiæ

(1) *Vide Capite ſuperiori.*

(2) La Somme de S. Thomas eſt comme le reſultat de ſes autres Ecrits, & comme ſon Teſtament, & ſa derniere volontè, la quelle a toujours ètè tenue comme le miracle, & l'oracle de la Theologie Scholaſtique, toujours lue publiquement, & s' il ſe peut dire, adorèe dans l' Ecole de Paris.

(3) Parlant a Meſſieurs de Nantes, & de S. Victor de la diſpute *De Gratia*: Tous les Jeſuites, dit-il, ne ſavojent, où ils en ètojent. Valentia demeure le plus confus homme du monde, & le plus honteux. Il en mourut de deplaiſir.

(4) Suares eſt le plus ignorant homme en antiquitè, qu' il eſt poſſible. Les Jeſuites de Turin m' apporterent un livre, qu' il avoit fait, de quoi ils faiſojent un grand cas. Je leur montrai tant de paſſages, ſi impertinemment, ſottement, & ignoramment tirez, que riens plus, & falſifiez auſſi. Le P. Coeffeteau dit, que l' on le tenoit pour le plus excellent Metaphiſicicien de tous le Docteurs. Je repondis, mais le plus ſouvent ce n' eſt, que ſophiſtiquerie. Celui d' entre tous les Scholaſtiques, qui a ècrit plus mal de l'Euchariſtie, c' eſt Suares.

diſtributione, de interna, atque ſecreta electorum vocatione, ſcripto reliquit: unde illum a Molinæ opinationibus remotiſſimum dignoſcere licet. De Gratia quippe efficaci ſic obiter habet lib. 3. Ad Reſponſum Sereniſſimi Brittanniæ Regis Obſerv. 3. cap. 12. (1) *Apoſtolus, nomine doni continentiæ, actum ipſum continendi intelligit; qui gratiæ efficacis partus eſt. Hæc enim nedum ut agere poſſimus, præſtat in nobis, ſed ut reipſa etiam agamus.* Quæ verba Molinæ jugulum petunt, diſputatione 39. ſcribentis, *Deum ex gratia non applicare, nec movere liberum arbitrium ad actum; ita quod liberum arbitrium, prius natura motum, & applicatum a Deo agat.*

Longe apertius adverſus prodigam illam Molinianæ gratiæ largitatem pronuntiat; qua fit, ut pro vario duntaxat naturæ conatu, e duobus æque vocatis unus veniat, non item alter; immo & ille nonnumquam audacius reluctetur, qui uberiori gratia donatur. Exſtat ea de re locus inſignis, in Enarratione ſuper Pſalmum 122. (2) *Dum Deo, miſericordiarum Patri, lubet, nos ad ſemetipſum pertrahere,; non externa duntaxat vocatione nos invitat, quæ vel ſingulis hominibus communis eſt, in ſola Divinorum operum contemplatione ſita; vel omnibus fidelibus propria, nimirum Divini verbi lectio, & interpretatio, quæ uni duntaxat Eccleſiæ ſervata eſt, in qua tametſi infiniti homines degant, qui vocentur exterius; non omnes tamen interius vocantur, & eliguntur. Non iis, inquam, externis duntaxat vocationibus invitat; verum etiam alterius generis vocatione nos trahit, interna ſcilicet, ac ſpeciali. Hoc eſt, non ipſas duntaxat rerum ſpecies nobis exhibet, quibus corda ad ſe ipſum erigat, ſed ipſas quoque animæ vires interius movet, ut iis utamur.*

Ubi liberi arbitrii, animæque virium uſum a gratia ſoboleſcere profitetur: quo capite potiſſimæ Molinianæ controverſiæ pars vertebatur.

Quo ex loco ſatis etiam intelligimus, quid ſibi velit Eminentiſſimus Cardinalis, dum alibi gratiam quandam ſufficientem agnoſcit, univerſis hominibus communem. Niſi enim ſibimet ipſe repugnet, non eam profecto intellexit, quæ veri nominis gratia eſt, ſed extrinſecam, ut hic appellat, in externa Divinorum operum voce ſitam. *Una eſt omnibus hominibus communis, in ſola Divinorum operum contemplatione ſita.* De qua S. Auguſtinus (3) tam erudite, quam: pie *Et cœlum, & terra, & omnia, quæ in eis ſunt, ecce undique mihi dicunt, ut te amem, nec ceſſant dicere omnibus; ut ſint inexcuſabiles. Altius autem tu miſereberis; alioquin cœlum, & terra ſurdis loquuntur laudes tuas.*

CAPUT XLVI.

Cardinalis Perronii dictum exponitur, & in Æmulos regeritur.

Videamus hic tandem, an quod a Cardinali Perronio dictum ferunt, adeo per ſeſe venenatum ſit, & odioſum, ut in amicum ſenſum verti non poſſit? An non potius æquo animo dictum fuerit, quod ad invidiam Æmuli detorſere? *Clementi*, (inquiunt) *Prædicatorum ſententiæ definitionem meditanti, ſignificavit Perronius, curaturum ſe, ſi quod meditabatur, definiret, ut huic Pontificio Decreto univerſi Europæ Sectarii ſubſcriberent, ſancitamque doctrinam ſuis chirographis communirent.* Ego quidem, etſi liberum putem, narrationem ab Æmulis primo vulgatam exſufflare, uti eam nonnullos exſufflaſſe ſcio; (4) adverſariis tamen ex abundanti gratificari malim, quam fidem exigere. Ita igitur dixerit, uti volunt, Eminentiſſimus Perronius: bene eſt: at non id eo animo dixiſſe putandus eſt, ut Thomiſticæ doctrinæ hæreticum Calvini, ac Lutheri ſenſum affingeret, eaque arte Pontificem ab edenda definitione deterreret. Immo potius ut innueret, Calviniſtas, ac Lutheranos, eo viſo Decreto, facilius ad Eccleſiæ gremium redituros, vanamque opinionem depoſituros, qua Romanam Eccleſiam Molinæ figmenta pro Catholicis dogmatibus excipere, eaque ratione Pelagianiſmum approbare, fabulantur. Animadverterat ſcilicet Perronius, quod ævi noſtri Polemiſtæ doctiſſimi pariter obſervarunt, Sectarios nempe, Theologorum noſtrorum diſputationibus, ſinceriſque Eccleſiæ dogmatum expoſitionibus, ita tandem ad ſaniora conſilia veniſſe, ut, relictis dogmatum noſtrorum falſis præjudiciis, emollitiſque Magiſtrorum ſuorum priſtinis aberrationibus, ne dicam penitus exploſis, ad Eccleſiæ doctrinam eo ſaltem in capite pene convolarint. Nec ignorabat Vir maximus, quæ jam diu apud Sectarios acciderant, dogmatum variationes. Non ignorabat anno 1534. Melanctonem in ſuis ad Gallos Admonitionibus faſſum eſſe, maximam controverſiarum partem, quæ ſuos inter, & noſtros de Gratia, & libero arbitrio agitari ſolent, evanuiſſe. Non ignorabat, in Conventu Ratisbonenſi anni 1541. Proteſtantes, ſemotis priſtinis Calvini præjudiciis, Catholicis illo in capite conſenſiſſe. Non ignorabat, in Conventu Auguſtano, anno 1548. ea in parte illos inter, & noſtros mutuo conveniſſe. Non ignorabat, quæ poſt ipſum Cardinalis Richelius, Fratres de Walenburch, Illuſtriſſimus Boſſuetus, Doctiſſimus D. Faber, (5) Vincentius Baronius, P. Veronius, Auctor Præjudiciorum adverſus Calviniſtas, aliique Eccleſiæ Catholicæ Defenſores agnovere, poſteriores ſcilicet Calviniſtas, emollitis Calvini dogmatibus, ad Eccleſiæ doctrinam de Gratia, & libero arbitrio propius acceſſiſſe. Quid igitur vetat, Perronii dictum eo ſenſu accipere, ut Gratiæ per ſe efficacis definitioni aſſenſuri eſſent Calviniani; illa nimirum propenſione, qua ipſos hoc in capite ad Eccleſiam paulatim accedere, noverat: modo ne illis Molinæ inventa pro Catholicis dogmatibus proponantur?

Juvat in re tanti momenti, Polemiſtarum noſtrorum verba ſubjungere. Cardinalis de Richelieu in tractatu, quem pro errantium converſione edi-

(1) L' Apôtre entend par le don de continence, l' Acte de ſe contenir; qui appartinent a la Grace efficace: laquelle non ſeulement fait pouvoir faire, mais auſſi fait faire.

(2) Quand il plait a ce Pere des miſericordes, de prendre le ſoin de nous attirer a lui, il ne ſe contente pas de nous appeller par le mojen de la vocation exterieure, qui conſiſte en deux choſes: l' une commune a l' endroit de tous les hommes, qui eſt la conſideration des œuvres de Dieu; l' autre particulieres a ceux, qui ſont dans l' Egliſe, qui eſt la vraie lecture & interpretation de la parole, qui eſt reſervèe particulierement a ſon Egliſe. En laquelle encore qu' une infinitè de perſonnes ſojens compriſes, pour y être legimement appellèes de l' appellation exterieure, ſi eſt-ce que toutes ne ſont pas èlûes, ni appellèes interieurement. Il ne ſe contente pas, dis-je, de nous appeller par ces deux manieres de vocation exterieure; mais encore nous appelle, par une autre ſorte de vocation, qui eſt interieure, & particuliere. C' eſt a dire, il ne nous propoſe pas ſeulement des objet, pour nous èlever à lui, mais même diſpoſe interieurement les puiſſances de notre a me, à nous en ſervir, & à les emploier.

(3) *Lib. 10. Conf. c. 6.* (4) *Vinc. Baron. de mente SS. Auguſtini, & Thomæ, diſp. 1. ſect. 2.* (5) *Le Fevre.*

edidit, lib. 3. De libero arbitrio ſic habet : (1) *Recentiores hæretici majorum ſuorum doctrinam de Prædeſtinatione, Gratia, & libero arbitrio ita temperarunt, ut vix ullum iis in capitibus (ſi accurate loqui velimus) eos inter, & nos diſſidium exſtet.*

Illuſtriſſimus Boſſuetus, Meldenſium Epiſcopus, egregius ille antiquæ interpres Eccleſiæ, Vindex novæ Calvinianæ ſectæ Triumphator, in Expoſitione fidei Catholicæ, cap. 7. ubi agit de Gratia, & libero arbitrio in negotio Juſtificationis : *Qui ſunt in illa ſecta doctiores (fatendum eſt enim) minus jam de hoc argumento contendunt, quam initio faciebant, ſuntque pauci, qui non agnoſcant, hoc quidem ex capite nullam prorſus dari a nobis diſcedendi cauſam. Quod ſi tanta illa de Juſtificatione quæſtio, quam, veluti ſuarum arcem diſputationum, primi illorum Auctores conſtituerant, iis, qui maxime inter illos ſapiunt, jam non videtur eſſe præcipua ; reputent ipſi, quid ſit de ſua ſeceſſione ſentiendum.* Clarius ibidem in Præfatione, poſterioribus editionibus affixa. *Neceſſe eſt confiteri, quas de tam gravi argumento controverſias adverſarii moverunt, eas multum eſſe imminutas, ne dicamus, omnino evanuiſſe.*

Illud ipſum ex inſtituto tractat lib. 8. Variationum, ut liberi arbitrii cooperationem a Calvinianis recentioribus, poſthabita Magiſtrorum ſuorum ſententia, concedi, probat. Sic Cap. 24., expoſita Melanctonii doctrina, ſubjungit : (2) *Sic certe extremas Lutheri aberrationes exuebat, tametſi iiſdem Lutherus ipſe ad finem uſque tenacius hæſerit.* Unde & Capiti vigeſimo-quinto hunc titulum præfigit; (3) *Motus liberi arbitrii, a Melanctonio aperte admiſſus in operationibus Divinæ Gratiæ.* Ac tandem Capite quinquageſimo-primo præcedentium narrationem ita concludit : (4) *Modo bona fide, & concordi conſilio res agatur, ne levem quidem inter nos diſſidii umbram experior, quoad illam de liberi arbitrii cooperatione controverſiam.*

Illuſtriſſimum Epiſcoporum, ac fratrum Par, Adrianus, & Petrus de Walenburch' prolixius adhuc, ac diſtinctius explicant, quomodo recentiores Calviniſtæ, emollita ſui Magiſtri ſententia, ad Catholicam acceſſerint. Sic illi tom. 2. Controverſiarum, tract. 1. (qui jam ab anno 1652. editus in lucem fuerat, hoc titulo præfixo : *Appropinquatio Proteſtantium ad doctrinam Catholicam*) cap. 57. „ Circa concordiam cooperationis Divinæ cum libero arbitrio variæ ſunt „ Doctorum Catholicorum ſententiæ. Bellarminus dicit, (5) *cooperationem Divinam ita concurrere cum ſecundis cauſis, etiam liberis, ut non ſolum eis dederit, & conſervet virtutes operatrices, ſed etiam eas moveat, & applicet ad opus.* „ Thomiſtæ idem tenent, & applicationem ad „ opus intelligunt de determinatione efficaci. „ Modernorum Reformatorum ſententiam juxta „ Thomiſtas explicat Crocius : (6) *Providentia non tollit rerum naturas ; ſed ſic gerit omnia, ut cauſæ neceſſariæ neceſſario agant, voluntariæ voluntarie : Voluntarias ita determinat, ut proprios voluntatis motus retineant, & ſe ipſæ determinent. Abſque quo ſi eſſet, periret, fateor, libertas eſſentialis, quippe quæ requirit, ut liberum arbitrium ſit cauſa ſui motus, adeoque homo per illud ad agendum ſe moveat. Non autem requirit, ut homo ſeipſum ſolus determinet, quia non requirit, ut ſit prima ſui motus cauſa, cujus eſt ſe ſolam determinare. Secunda cauſa ſe determinat quidem, ſed ſub primæ cauſæ determinatione, quippe a qua pendet ut in eſſendo, & exiſtendo, ita in agendo.* Atque hæc ſententia nunc eſt inter Reformatos communiſſima. „ Neque hoc tempore dicunt, Gratiam ita eſſe „ a ſe ipſa efficacem, ut excludant motionem „ moralem, quæ eſt per conſilia, & ſuaſiones. „ Similiter hoc tempore non docent, Deum ita „ efficaciter movere voluntatem, ut poſtea non „ ſit noſtræ electionis, motioni ejus aut obtemperare, aut refragari; tenent enim, facultatem „ diſſentiendi conſiſtere cum Gratia efficaci, & „ idipſum hic tradunt, quod Thomiſtæ : libenter etiam fatentur, Deum per gratiam, vel „ motionem efficacem ita operari in nobis velle, „ & nos ad ſeipſum convertere, ut gratiæ prævenienti noſtrum arbitrium, pediſſequa voluntate, obſequatur libere. Non igitur eſt neceſſe „ indagare, quid Calvinus, quid alii antehac „ ſenſerint : ſufficit, eos nunc cum Catholicis „ Doctoribus ſentire, & loqui. Alii ex Proteſtantibus alios Doctores Catholicos ſequuntur. „ Nulli hic cauſam invenient, cur a communione Eccleſiæ Catholicæ velint abſtinere.

Idem cap. 60. cujus titulus : *Hominem libere conſentire gratiæ Dei*; hæc inter alia : „ Convenit inter Catholicos, & Proteſtantes 1. Hominem in ſui converſione non eſſe inſtar trunci, „ aut lapidis, &c. . . . Convenit inter Catholicos, & Proteſtantes, hominem in ſui converſione libere conſentire Gratiæ Dei . . . Convenit inter Catholicos, & Proteſtantes, hominem in ſui converſione poſſe non cooperari „ Gratiæ Dei . . . . Cum igitur in hac cauſa „ Proteſtantes hoc tempore non diſſentiant a Doctoribus Catholicis; non eſt, unde hic anſam „ quærant abſtinendi ab unione, & communione „ Eccleſiæ Catholicæ.

Vincentius Baronius in libro, cui titulus eſt : *Hæreſis devicta*, ſic ſcribit : (7) *Jam quid de Gratia efficaci dicemus ? Quo pacto Catholicos cum Sacramentariis conciliabimus, qui liberum arbitrium e medio tollunt, voluntatemque neceſſario ferri, putant, ad bonum quidem Divinæ Gratiæ virtute ; ad malum vero, erroris efficacia, & corruptione naturæ ? Certe (ut miſſos hic Arminianos faciamus, quos, uti Pelagianos, a ſui communione in Synodo Dordrektana præſciderunt) ad noſtros tandem Theologos accedunt, quotquot eos inter altiori eruditionis fama valent.*

Patet Veronius 3. parte Controverſiarum, cap. 2. de libero arbitrio, expoſitis variis Proteſtantium Confeſſionibus, Galliæ ſcilicet, Bataviæ, Scotiæ, Angliæ, Helvetiæ, Auguſtanæ, Saxoniæ, quibus liberi arbitrii cooperationem expli-

(1) Les nouveanx errants ont adouci, & reformè de telle ſorte la doctrine de leurs fondateurs, en ce qui regarde la Predeſtination, la Grace, & le libre arbitre; qu' à proprement parler, on ne remarque preſque plus de differens entre eux, & nous ſur ce ſujet.

(2) Voila comme il revenoit des excès, que Luther lui avoit appris, encore que Luther y ait perſiſtè juſqu' à la fin.

(3) L' exercice du libre Arbitre clairement reconnu par Melancton dans les operations de la Grace.

(4) Pour peu qu' on s' entende, je ne vois plus entre nous aucune ombre de diſpute ſur la cooperation.

(5) *Lib. 4. de grat. & lib. arb. c. 16. in princ.* (6) *Anci Bec. tom. 2. contr. 15. ſect. 1. n. 14. p. 689.*

(7) Que dirons-nous de la Grace efficace ? Comment pourrons-nous accorder les Catholiques avec les Sacramentaires, qui ôtent le libre Arbitre, & qui diſent, que la volontè eſt neceſſitèe au bien par l'efficacitè de la Grace; & au mal, par l'efficacitè de l'erreur, & par la corruption de la nature ? Sans parler des Arminiens, qu' ils ont retranchez de leur Communion dans le Concile de Dordrek, comme Pelagiens; les plus ſavans parmi eux ſe rangent enfin è nos Theologiens.

plicant, addit; (1) *Vix ullum, in iis Errantium Confeſſionibus, veri nominis diſſidium obſervo, quoad illud caput attinet . . . . Magiſtrorum ſuorum doctrinam abnegant; ſuoſque articulos tot interpretationibus emolliunt, ut nihil jam adverſus Romanæ Eccleſiæ doctrinam doceant. Satis nobis illorum profeſſio ſit. Atque utinam in aliis errorum capitibus ita ſe gererent.*

Auctor libri, cui titulus : *Juſta adverſus Calvinianos Præjudicia*, ita hoc de argumento ſcribit cap. 11. (2) *Fateri tandem aliquando coacti ſunt, diſſidium, Eccleſiam inter, & Calvinianos excitatum, verbis potius ſtetiſſe, quam rebus ipſis; ſeu primos ipſimet ſenſus exuerint, ut ad Catholicorum ſententiam accederent ; ſeu Eccleſiæ doctrinam, ſibi licet ignotam, audaci cæcitate damnaſſent. Id in multis admodum capitibus accidit, maxime vero in Juſtificationis dogmate : cujus præſertim occaſione, uti omnibus notum eſt, ab Eccleſiæ Romanæ communione diſſociati ſunt.* Id autem deinceps oſtendit variis hujus ſectæ Miniſtrorum teſtimoniis, ac præſertim Ludovici le Blanc, Sedani Profeſſoris Theologi.

Univerſa hæc complexus eſt, ſuoque calculo confirmavit Doctiſſimus D. le Fevre, Theologus Pariſienſis, in libro, cui titulum dedit : (3) *Momenta invicta ad convincendos Eccleſiæ falſi nominis reformatæ ſectatores :* Ubi præter memoratas Eccleſiæ pſeudo-reformatæ Confeſſiones, celebriores hujus ſectæ Scriptores ad trutinam vocat; Ameſium, Perchinſium, Anton. de Dominis, Guilielmum Forbeſium, Petrum du Moulin, Buxtorfium, Tuiſium, alioſque bene multos; a quibus primos Calvini ſenſus vel admodum emollitos, vel plane dimiſſos, oſtendit.

Unum tot inter Calvinianæ ſectæ Principes audire ſat eſt P. Jurieu in Tractatu, quem ante paucos annos Roterodami edidit, De Natura, & Gratia cap. 9. pag. 119. (4) *Cenſent, & quidem ex religionis debito, Reformati plane omnes, Divinam operationem, quæ & voluntatem prævenit, & ad bonum invicte determinat, libertatem ejus nullatenus lædere. Gratiam enim prævenientem, determinantem, atque etiam* irreſiſtibilem *profitentur Eccleſiæ noſtræ. Credimus ſcilicet, nos ad ſingulos actus bonos Spiritus Sancti gratia præveniri, & ad bonum ſpeciali efficacia determinari, quæ in electis victrix ſemper ſit. Firma porro fide profitemur, eam Divinæ Gratiæ energiam, qua voluntas ad bonum neceſſario determinatur, libertatem minime lædere.* Quo ex loco id ſaltem extundimus, liberum arbitrium, ex recentium Reformatorum decreto, Divinæ Gratiæ energia minime lædi : cum contra commentitiæ reformationis Architecti audacter ſtatuerent, liberum arbitrium gratiæ efficacia violari, remque eſſe de ſolo titulo, ac titulum de ſolo nomine; nec jam liberum, ſed ſervum arbitrium appellandum. Explicatius vero, & magis ad noſtrum inſtitutum, in libro, cui titulus : (5) *Judicium de ſeverioribus, & laxioribus methodis :* ubi, propoſitis variis veterum Reformatorum propoſitionibus, qui Lutheri ſenſa de gratia, & libero arbitrio tenacius æmulati ſunt, ſubdit : (6) *Fatemur profecto, eas inter loquendi rationes, nonnullas occurrere plus juſto duriores. Non ea Scriptores noſtros cæca veneratione ſuſcipimus, qua ſuum illi Lutherum excipiunt : neque religioni ducimus, illorum loquendi modos repudiare, dum & ingenerare ſcandalum poſſunt, & duriores ſtomacho reputantur. Hujus profecto generis ſunt, quas paulo ante retulimus, quaſque idcirco nemo noſtrum impræſentiarum uſurpat, aut ab annis centum, & amplius uſurpavit.*

At neque Societatis Theologos latet illa recentium Calviniſtarum a primis ſectæ ſuæ principibus defectio, ac veterum dogmatum ejuratio; illos maxime, qui cum heterodoxis, collato veluti pede, certarunt. Habitam cum Davide Paræo, Calvinianæ factionis in Germania Præſule, collationem memoriæ prodidit Martinus Becanus, obſervatione digniſſimam : unde mutatum recentium Errantium ſenſum, damnatumque ab iiſdem Calvinum ſuum, noſſe liceat. *Noſter Serrarius*, inquit ille tomo 1. Summæ Theologicæ, cap. 16. *& ego eramus autumno ſuperiore apud Acidulas Schualbucenſes. Ibi commode incidimus in Davidem Paræum Calviniſtam, profeſſorem Heidelbergenſem. Salutavimus hominem perhumaniter, & ille viciſſim nos. In progreſſu amice, & modeſte mihi objecit, quod in quadam diſputatione, quæ Typis edita eſt, ſcripſiſſem, Deum Calviniſtarum eſſe auctorem peccati. Reſpondi, me ſolide id probaſſe ex verbis, & ſententiis Calvini. Tum ille, Eſto, ſane inquit, ſit iſta Calvini ſententia; at non Calviniſtarum. Hic ſubridens Serrarius, ita ſubjecit : Domine Paræe, hæc lis facile inter nos, ut video, componetur : ſola particula* STARUM *expungatur ; & res erit ſalva. Placuit hoc Paræo, & colloquium ſolutum eſt. Vix Moguntiam reverſi eramus, cum ecce Paræus ad me Epiſtolam dat, in qua monet nos officii noſtri, hoc carmine :*

Vos quoque promiſſi memores delete litura
Ingenua, STARUM *impegiſtis quod male noſtris.*

Hæc igitur alto animo reputabat Eminentiſſimus Perronius, dum Clementi VIII., Thomiſticæ doctrinæ definitionem, & Molinianæ condemnationem meditanti, innuiſſe fertur; curaturum ſe, ſi, quod meditabatur, definiret, ut Pontificio decreto Germaniæ Proteſtantes obtemperarent. Illos ſcilicet, Calvinum, & Lutherum ea jam parte pene deſeruiſſe pro-

(1) A peine vois-je dans les Confeſſions des errants aucun vrai debat ſur ce ſujet . . . . Nos gens renient la doctrine de leurs Maitres, & gloſſent leur article en telle maniere, qu' ils n' enſeignent rien contre la doctrine Romaine. Contentons-nous de leur profeſſion. Ainſi fiſſent-ils de toutes leurs autres erreurs.

(2) Ils ont ètè à la fin obligez de reconnoitre, que la difference entr' eux, & l' Egliſe, conſiſtoit plûtôt dans les paroles, que dans la choſe : ſoit qu'ils ajent eux-mêmes a bandonnè leurs premiers ſentimens, pour revenir à celui des Catholiques : ſoit que par une a veugle temeritè, ils les euſſent condamnès, ſans les entendre. C' eſt ce, qui eſt arrivè en pluſieurs poïnts, mais particulierement dans la matiere de la juſtification, dont chacun ſait, qu' ils ont fait le principal ſujet de leur ſeparation d' avec l' Egliſe Romaine. *Prejugez legitimes contre les Calviniſtes.*

(3) Mojens invincibiles pour convaincre ceux de la Religion prètenduè reformèe.

(4) Tous les Reformez par obligation dans ce ſentiment, que l' action de Dieu, qui previent la volontè, & qui la determine invinciblement au bien, ne viole pourtant point du tout ſa libertè. Car nos Egliſes tiennent pour ce, qu' on appelle la grace prevenante, determinante, & même irreſiſtible : C' eſt à dire, que nous crojons, qu' en chacune des bonnes actions, que nous faiſonr, la grace du S. Eſprit nous previent, & nous determine au bien avec une efficace, qui eſt toujours victorieuſe dans les Elus. Or nous faiſons profeſſion de croire, que cette force de la grace, qui determine neceſſairement la volontè au bien, ne viole pas la libertè.

(5) Jugement ſur les methodes rigides, & relachèes.

(6) Il eſt vrai : nous reconniſſons, que dans ces expreſſions il y en a de trop dures. Nous n' avons pas pour nos Auteurs la même ſoumiſſion, que ces Meſſieurs ont pour Luther; & nous ne nous faiſons pas une honte d' abandonner leurs manieres de parler, quand elles nous paroiſſent propres à ſcandaliſer, & dures à digerer. Telles ſont celles, que nous venons de voir, dont auſſi nul des nôtres ne ſe ſert plus aujourd' hui, & dont on ne s' eſt point ſervi depuis plus de cent ans.